

P R Æ F A T I O.

vocis *servi receptitij* rectè notet. Porrò postquam in foro Germanico etiam Germano ore, (utinam & fide Germanâ!) meritò loquimur, antiquæ verò Jurisprudentiæ Germanicæ vocabula plurima hodie in desuetudinem aut planè abierint, aut aliam atque aliam significationem induerint, ut solidâ interpretatione plurimum opus sit, animadvertit hunc defectum fori primus *PAULUS MATTHIAS WEHNERUS* JC. Consiliarius quondam Episcopi Bambergensis, eumq; supplere fuit aggressus, conscripto atque edito hoc tractatu, quem *Observationum Practicarum* nomine insignivit, qui si aliquomodo latior cui videatur, sciendum est, non semper titulos libris aut rubricas titulis esse adæquatas, quod vel in Corpore Juris Justiniani observari poterit: quare & hic restrictio observationum intelligenda pro subjecta materia, atque circa verborum forensium significationem. Quanquam etiam alia extra scopum suum ut ipse fatetur adjecit, utilitatis publicæ gratiâ.

De scopo denique ejus quum ipse in Epistola dedicatoria dixerit, non est quod huic immoremur. Illud Viro condonandum fuerit, quod vulgari opinione imbutus existimaverit, veteres Germanos linguam suam  
literis